

**Disputatio medica inauguralis, de typho ... / Eruditorum examini subjicit
Benjamin Scutt.**

Contributors

Scutt, Benjamin.
Baird, George Husband, 1761-1840.

Publication/Creation

Edinburgi : Typis Georgii Mudie et filii, 1795.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dvnvbprk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

465821P

BW7

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE TYPHO.

АДРИАНОВСКАЯ БИБЛИО

ГРАФИЧЕСКАЯ КОЛЛЕКЦИЯ

СОЛНЕЧНОГО ОБЛАСТИ

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE TYPHO:

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

BENJAMIN SCUTT,
ANGLO-BRITANNUS.

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.

SOC. HON. ET PRÆS. ANN.

“ —Quæ sint morbo, mortique, necesse st
“ Multa volare; ea cum casu sunt fortè coorta,
“ Et perturbârunt cælum, fit morbidus aër.” LUCRET.


Ad diem 12 Septembris, hora locoque folitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.
TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.



MEMORIÆ
PATRIS OPTIMI
THOMÆ SCUTT,
QUI,
VIVUS,
LIBERORUM
COMMODO
PROVIDENTISSIME
CONSULUIT;
QUEM,
MORTUUM,
VIVI
DESIDERIO
LUGENT
ET
LUGEBOUNT;
HAS
STUDIORUM
PRIMITIAS
SACRAS
VULT
BENJAMIN SCUTT
FILIUS.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30382233>

AVUNCULO,
SAMUELI SHERGOLD, ARMIGERO,
BRITHELMESTONIENSI;
NECNON
PATRUO,
GULIELMO CABELL, ARMIGERO,
CONCILIO
EORUM,
QUI
RES GESTAS
INDIÆ ORIENTALIS
SUB IMPERIUM
BRITANNORUM
REDACTÆ
INSPICIUNT,
A SECRETIS;
QUINIMO,
JOANNI PANKHURST, CHIRURGO,
ET
PHILIPPO MIGHELL, ARMIGERO,
BRITHELMESTONIENSIBUS;
PEREXIGUUM HOC
GRATI ANIMI
SIGNUM
SUMMA OBSERVANTIA
OFFERT
BENJAMIN SCUTT.

DISPUTATIO MEDICA

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE TYPHO.

B. SCUTT Auct.

§ I. *TYPHUS* a CULLENO, definitur “ Morbus
“ contagiosus; calor parum auctus;
“ pulsus parvus, debilis, plerumque frequens;
“ urina parum mutata; sensorii functiones plu-
“ rimùm turbatæ; vires multùm imminutæ.”

II. “ The Typhus” ait CULLENUS “ seems to
be a genus comprehending several species;

A

these

“ these, however, are not yet well ascertained
“ by observation, and in the mean time we can
“ perceive that many of the different cases ob-
“ served, do not imply any specific difference,
“ but seem to be merely varieties, arising from
“ a different degree of power in the cause, from
“ different circumstances of the climate or sea-
“ son in which they happen, or from different
“ circumstances in the constitution of the per-
“ sons affected.”

HISTORIA MORBI.

III. Ineunte morbo, homo alternis vicibus
horrescit frigore, et calescit; inquietus est;
velut labore defatigatus, languescit, lassescit;
animo demisso est; capite dolet. Haud multò
post, omnia esculenta aversatur atque nauseat,
et interdum brachiorum torpore afficitur. Præ
muscularum debilitate, irquietus, corpore si-

tum subinde variat: modò cubat, modò sedet, modò stat; sed ægrè fert omnem positum. Dolet simul dorsum, dolent lumbi. Arteriæ solito celerius micant: lingua albescit, sed siti nondum arescit.

IV. Signis (III.) talibus, per complures dies, ægrescens neque lecto affigitur, nedum ad suas res gerendas valet. Verùm, haud ita multò pòst, morbo ingravescente, vis omnium signorum intenditur. Vesperascente die, caput gravedine et vertigine magis afficitur: universum corpus incalescit: arteriæ celeriter, sed imbecilliter, moventur: spiritus ægriùs et cum anxietate movetur: occipitum subinde vel torpet, vel obtusiùs dolet, vel friget; et haud rarò hinc, viâ qua tendit sutura coronaria, dolor gravis ad frontem pervenit: obviis aspectis, frons ipsi ægro quasi inardescere videtur, sed tacta perfusa sudore est: facies impallescit: præ acriore sensu,

sensu, oculi lucem vel obscuram refugiunt; sonos et levissimos tolerare nequeunt aures.

V. Pulsus interea imbecillus est, inæqualis, modò vacillans, modò tardus paulisper, imò etiam intermittens; aliàs, facie sanguine subitò turgescente et rubescente, celerrimus. Certiores nos facit HUXHAMUS, rubere et calere faciem, etiam cùm extremæ partes membrorum inalgescunt.

VI. Dum ita (iv. v.) sit, urina pallida est, sæpe limpida, neque in ea quid subsidit. Optatus somnus ægrum refugit: dum enim aliis somno obrutus videtur, ipse pernegat, se somnum capere. Etiamsi labia arida sint, rarò tamen sitit. Interdum autem conqueritur de calore linguæ, cui profectò obducitur crusta subnigra, hic illic transversis incisuris hiulca. Dissolutus simul stomachus nausea et vomitus tentatur.

VII. Septimo ferme die aut octavo, ægri vertigo et capitis dolor multum ingravescunt: continenter sonant aures, usque interdum eò, ut delirium superveniat: præcordia magis degradantur, et spiritus ægriùs movetur ægriùsque: vires quasi lassitudine effluunt; usque profecto eò, ut, corpore erecto, animo æger deficiat.

VIII. Cùm eò (vii.) processum sit, si urina magis, quam antea, pallescat, propè est, ut ægrotus deliret, tendines subsiliant, et omnes artus graviter intremiscant. Delirium quidem raro grave est: æger tamen apud se non est; sed aut secum inaudita mussitat, aut titubante lingua alienis adstantes alloquitur.

IX. Eodem ferè tempore, lingua, quoties eam exserit æger, multum tremiscit; et, in media potissimum parte, obducta aridâ et subflavâ crusta, quam, ex utroque margine, divisura, in longum tendens, hiulcat. Siquando, hoc circiter tempore,

tempore, lingua humida fiat, et os fusè salivet, profectò optimi semper ominis est. Sin accidat devorandi difficultas; vel, dum devorat æger, spiritus, tanquam propter angustias, per quas evadit, sibilum elidat; vel, tanquam spiritu intercluso, æger in eo sit ut suffocetur; salus in lubrico vertitur.—Os interea semiapertum est: anima aliquantùm fœtet: labra et dentes nigrescunt.

X. Nono ferè, aut decimo, aut duodecimo die, extremum ubique corpus perfunditur sudore, qui non solùm aëgri vires exhaūrit, sed odore nares offendit. Eodem ferè tempore, alvus per quam soluta, tenuia quædam subinde dejicit; præcordia quasi gravantur; et magna anxietas, in eo esse, ut proveniant *petechiæ*, prænunciat. Hæ verò interdum maturiùs enascentes, quarto propè die aut quinto, corpus extremum decolorant. Quinetiam, jam enatæ, haud rarò subitò recedunt

recedunt et evanescunt, dum, interea, summa cutis permadet sudore.

XI. Quoniam PRINGELIUS *petechias* jam accuratè descriptsit, ejus verba citabimus. “ There is a certain eruption, which is the frequent, but not inseparable attendant of fever. This is a petechial efflorescence that is sometimes of a brighter, sometimes of a paler red, at other times of a livid colour, but never rises above the skin. The spots are small, but sometimes so confluent, that, at a little distance, the skin appears only somewhat redder than ordinary, as if the colour were uniform ; but, upon a nearer inspection, the interstices are seen. For the most part these spots are so little conspicuous, that, unless looked for attentively, they may escape notice. They come out thickest on the breast and back, less on the legs and arms ; and I do not remember to have observed any upon the face. I have

" have sometimes seen them as early as the
 " fourth or fifth day, and, at other times, as
 " late as the fourteenth. They are never critical,
 " nor are they to be reckoned among the mortal
 " signs, but only concur with other circumstan-
 " ces to ascertain the malignity. The nearer
 " they approach to the purple, the more they
 " are to be dreaded. In a few cases, instead of
 " spots, I have observed purple streaks and
 " blotches, which perhaps are still a worse symp-
 " tom. The petechiæ will sometimes not ap-
 " pear till after death."

XII. Sub finem morbi, omnibus signis ingra-
 vescentibus, facies cadaverosa fit: omnia in eo
 sunt, ut computrescant: propter imbecillitatem,
 æger non audit, non videt; in veste floccos le-
 git, fimbriasve diducit; et, si non delirio vexer-
 tur, saltem, præ torpore sensuum, adeo suæ
 mentis non est, ut, quæ dicantur, neque ex-
 audiat, neque intelligat: artus intremiscunt:

præ

præ magna debilitate, *tendines*, non imperante voluntate, subinde subsiliunt : summum corpus, hic illic, livet ; et interdum usque eò exulceratur, ut ossa, imprimis *iliaca*, nudentur.

XIII. HUXHAMUS putat, tremores et nervorum vellicationes, quibus febre moribundi afficiuntur, prænunciare, propè esse, ut omne corpus vehementer convellatur.

XIV. Cùm eò (xii.) processum est, urina, nescio ægro, effluit, fæces dejiciuntur : arteriæ imbecillimè, et celerrime, et inæqualiter moventur : extrema frigescunt : ineluctabile eheu ! venit tempus; venit summa dies : pallida mors inhiat : anima in sublime fertur : fuit æger : jacet, com-putrescit cadaver.

XV. Hæc febris, ut certiores nos faciunt auctores, rarissimè, si unquam, ante diem quin-

tum aut septimum, finitur. Sæpe in longum tempus protrahitur ; imò, usque interdum ad quadragesima dies.

XVI. His (iii.—xiv.) dictis adjici potest, signa, licet plerumque ea sint, et eo ordine, alia alia, deinceps sequantur, quæ memoravimus, vitam et re aliquantum variare. Sub finem, *bubones* interdum, sed raro, ægrum deturpant. Imò, ut certiores nos facit PRINGELIUS, his febris, non febri hi, supervenire videntur. Cujusdam enim cætera sani binæ *carotides* intumuerunt. Homo, quid causæ esset, nihil suspicatus, cataplasmata, quæ tumores discuterent, superimposuit ; et, mirum dictu, subsidentibus tumoribus, febre malignâ correptus est.

DIAGNOSIS.

XVII. De hac rei nostræ parte fusè dicere, neutquam opus est. Initio quidem, *typho* febrem

communem

comunem et intermittentem dignoscere, difficile est. Sed percontati, quomodo vivat æger; qua arte versari soleat; utrum bene, an male sit; demumque, grassetur, necne, contagio; cognoscere, quo morbo implicitur, poterimus.

XVIII. Manuum tremores, ut a PRINGELIO accipimus, omnium ferè hujus generis febrium communes sunt, et has aliis distinguunt.

XIX. RUSHIUS, in libro, quem publici juris nuperrimè fecit, de *febre flava*, quæ, anno millesimo, septingentesimo, nonagesimo, tertio, PHILADELPHIÆ grassabatur, et orco plurima capitum millia demittebat, ostendere, quibus notis ab aliis febribus dignoscatur, conatus est.

XX. *Febris flava*,—et *typhus* qui carcerum colluvie ingeneratur, inter se multis, ut huic auctori videtur, differunt. Quæ hæc sint, hic loci, breviter nobis dicendum est.

XXI. 1. Imprimis *typhus*, secùs ac *febris flava*, prægressis morbis aliisve quibuslibet causis jam multùm debilitatos, vel naturâ imbecilles, potissimùm implicat.

2. Arteriæ, urgente *typho*, rarò pleno aut valido motu micant ; sed languido plerumque, et trepido.

3. Lingua citius desinit esse albida et humida ; et evadit sicca et subnigra.

4. Stomachus rarò multùm dissolvitur. Alius vel naturalis est, vel, præter solitum, soluta. Verùm etiam tamen dum fluit, in iis, quæ dejiciuntur, rarò bilis inest, raròque ex iis emanat fœtor.

5. *Tendines*, porrò, vehementer subsiliunt ; lingua titubat ; artus intremiscunt.

6. Quin

6. Quinimo, remissiones vel prorsùs nullæ sunt, vel saltem quales vix, et plerumque ne vix quidem, notari possint.

7. Hieme, vere, et autumno, æquè grassatur. Vis ejus autem et sævitia aliquantūm remittunt calidâ tempestate, dummodo ægroti aëre puro et animabili satis vescantur.

8. Non tam facilè hominum commercio vulgaratur, quam *febris flava*, neque adeo lethalis est.

9. Contagio, qua *typhus* propagatur longè latèque, ingeneratur hominum colluvie, adjuvantibus simul aëre impuro, humore, et calore.

C A U S Æ.

XXII. Causarum, quibus *typhus*, æquè ac alii morbi, proficiscitur, duo sunt genera. Ad primum pertinent eæ, quæ opportunum ei corpus faciunt. Secundum eas comprehendit, quæ in corpore opportuno eum concitant.

XXIII. *Genus* (xxii.) *primum*—complectitur omnia, qualiacunque sint, quæ corpus magnopere debilitant, prægressi nimirum morbi, qui aut vi aut diuturnitate vires labefactaverint; magna vis sive caloris, sive frigoris; intemperantia, imprimis ebrietas, et effrænata libido; vita sedentaria; defatigatio; pervigilations nocturnæ.

XXIV. Hæ (xxiii.) causæ sive singulæ, sive pauciores ex his pluresve in commune conspirantes, propter miram omnium corporis partium communitatem, totum, pro rata vi, qua admo-

veantur,

veantur, debilitant. " A due proportion of ali-
" ment," ait GARDENERIUS, " removes the dis-
" agreeable sensation of hunger, and that faint-
" ness and languor with which it is always ac-
" companied. Proper food likewise gives a sti-
" mulus of an opposite kind to the nerves of
" the stomach, by which they acquire addition-
" al strength and firmness ; and, as the whole
" system sympathizes with the stomach, the same
" effects are extended to every part of the body,
" and enable us to renew our labours with fresh
" vigour*."

XXV. Tam solerter et affabré nostra corpora
machinatus est Deus, tamque inter se omnia
nostra membra concordant, ut omnes partes
propriis muneribus, suo quæque, ordinatè per-
fugantur, dum earum concordiam causæ quæ-
dam iniquæ disturbent. Imò, corpori tanta
tamque valida inest vis nocivis renitendi, et sese

* Vide GARDENER. *Animal Economy.*

incolume conservandi; ut aliquandiu rebus offendentibus aduersetur, neque prius in morbum incidat, quam diutino et acri quasi certamine exhaustum fuerit.

XXVI. *Genus (xxii.) secundum.*—Inter causas, quæ *typhum* concitant, enumeratur frigus corpori, maximè humido, admotum. Adeo hoc suapte vi pollet, ut interdum, CULLENO judice, febrem concitet. Plerumque verò hanc eatenus tantummodo concitat, quatenus, corpus debilitando, hominem aptum, quem afficiat contagio, aut paludum anhelitus, reddit.

XXVII. Hic loci, haud a re nostra erit, commorari paulisper, et febrium, sive contagione oriantur sive aliis causis, qualis natura sit, pro nostra facultate, anquirere.

XXVIII. Febres, etiamsi iis diversa nomina indita sint, tamen omnes, ut nobis videtur, ex congeneribus

congeneribus causis nascuntur, et nihil nisi variæ formæ sunt ejusdem prolis. Omnibus igitur non una est facies, neque tamen diversa, sed qualis solet esse cognatorum morborum.

XXIX. 1. Ita (xxviii.) esse, verisimillimum est, eò quòd haud rarò ex aliis, quàm contagione, causis enascuntur morbi; qui, etiamsi initio leves sint neque periculosi, tamen in malum póstinde morem usque eò abeunt; ut non solum atroces evadant et lethales, sed etiam hominum inter se ministeriis pestiferi grassetur.

2. Hoc (xxix. 1.) modo *typhus mitior*, quem concitare possint causæ quælibet, quæ corpus multùm debilitant, interdum peculiari cujuspiam aëtri corporis constitutione abit in *gravorem*, et haud scio an alios etiam morbos malignos progeneret.

3. Quinimo, a LINDIO aliisque auctoribus accipimus, intermittentem nonnunquam in remittentem degenerare; non quia constituto naturâ ordine h[ec] illam consequitur, sed quia interea febricitantis corpori contagionis plus minus aliquo modo admotum est.

XXX. Frigus corpori admotum, modò febrem ardenter concitat, modò lentam. Quare verò hoc accidat, explicare equidem non possumus. Utcunque hoc sit, ii sumus, qui frigus febrem movere corpus incitando potius, quam sedando, opinemur.

XXXI. Demumque, adducimur, ut hæreamus in eâdem commoremurque sententiâ, febres nempe genere simplices esse, propterea quod eadem signa omnium febrium communia sunt, paululùm tantùm variata, pro rata vi causarum, quæ has concitaverint.

XXXII. i. *Con-*

XXXII. 1. *Contagio.*—Quali naturâ contagio sit, etiamnum ignoratur. De ejus autem primordio, a peringeniosis et præclaris auctoribus, in varias partes, disputatum est. MEADIUS putat, contagionem, qua pestis enascitur, in ÆGYPTO ingenerari; et hanc illius quasi patriam sedem esse, unde a mercatoribus aut viatoribus in alienas regiones, imò in ultimas terras interdum devehitur.

2. Contrà, PROSPER ALPINUS, et VOLNEIUS, jure magni nominis utriusque, opinantur, contagionem, pestis concitaticem, haudquaquam in ÆGYPTO ingigni; sed esse peregrinam, huc a GRÆCIA navibus trajectam, sive a SYRIA aut BARBARIA vel navibus invectam vel a viatoriis bus*.

XXXIII. Con-

* Quelques personnes, ait VOLNEIUS, ont voulu établir parmi nous, l'opinion que la peste était originaire d'EGYPTE; mais cette opinion, fondée sur des préjugés vagues, paraît démentie par le faits. Nos Nègocians éta-

XXXIII. Contagio, uti appareat, est nociva
exhalatio ex putridis vel cadaveribus aut ani-
malium

blis depuis longues années à ALEXANDRIE, assurent de concert avec les EGYPTIENS, que la peste ne vient jamais, de l'interieur du pays, mais qu'elle paraît, d'abord sur la côte d'ALEXANDRIE: et d'ALEXANDRIE elle passe à ROSETTE, de ROSETTE au KAIRE, du KAIRE à DAMIAT, et dans le reste du DELTA. Ils observent encore, qu'elle est toujours précédée de l'arrivée de quelque bâtiment venant de SMYRNE, ou de CONSTANTINOPLE, et que si la peste a été violente dans l'une de ces ville pendant l'été, le danger est plus grand pour la leur pendant l'hiver qui suit. Il paraît constant que son vrai foyer est CONSTANTINOPLE; qu'elle s'y perpétue par l'aveugle négligence des TURKS: elle est au point que l'on vend publiquement les effets des morts pestiférés. Les vaisseaux qui viennent ensuite à ALEXANDRIE, ne manquent jamais d'apporter des fourrures et des habits de laine qui sortent de ses ventes, et ils les débitent au bazar de la ville, où ils jettent d'abord la contagion. Les GRECS qui font ce commerce en sont presque toujours les premier victimes. Peu à peu l'épidémie gagne ROSETTE, et enfin le KAIRE, en suivant la route journalière des marchandises.

“ La peste” fert paulò infrá idem auctor “ offre plusieurs phénomènes très remarquable. A CONSTANTI-

malium excrementis, vel iis quorum stirpes,
haud ita pridem, terrà continebantur. Ani-
malium

NOPLE elle regne pendant l'été, et s'affoiblit ou se detruit pendant l'hiver. En EGYPTÉ, au contraire, ell regne pendant l'hiver ; et juin ne manque jamais de la détruire. Cette bizarrerie apparente s'explique par un même principe. L'hiver détruit la peste a CONSTANTINOPLE, parceque le froid y est tres-rigoureux. L'été l'allume, parceque la chaleur y est humide, à raison des mers, de forets, et des montagnes voisines. En EGYPTÉ, l'hiver fomente la peste, parcequ'il est humide et doux: l'été la détruit, parcequ'il est chaud et sec. Il agit sur elle comme sur le viandes qu'il ne laisse pas pourrir. La chaleur n'est malfaisante qu'autant, qu'elle se joint a l'humidité. L'EGYPTÉ est affligée de la peste tous les quatre ou cinque ans ; les ravages qu'elle y cause devraient la dépeupler, si les étrangers qui y affluent, sans cesse de tout l'empire, ne reparaient une grande partie de ces pertes.

En SYRIE la peste est beaucoup plus rare: il y a vingt-cinq ans qu'on ne l'y a ressentie. La raison en est sans doute la rareté des vaisseaux venant en droiture de CONSTANTINOPLE. D'ailleurs on observe qu'elle ne se naturalise pas aisément dans cette province. Transportée de L'ARCHIPEL, ou même de DAMIAT, dans les rades de LATAQE, SAIDE ou ACRE, elle n'y prend point racine; elle veut des circonstances préliminaires et une route combinée: il faut qu'elle passe du KAIRE en droiture

malium corpora exhalant aliquid nocivi, quod genere fortasse non differt ab eo, quod a putrescentibus iis editur, quæ terrâ nata sunt. Febris flava, quæ PHILADELPHIÆ tantam stragem nuper edidit, a putrida *coffea*, ut existimat RUSHIUS, ortum duxit.

XXXIV. Hæc (xxxiii.) contagio eâ est naturâ, ut haud raro, velut anguis in herba, aliquandiu laneis et linteis, imò interdum humano ipso corpore, innocua lateat. Mirum hujus exemplum scriptis, tradidit LINDIUS. Unus, e sociis navalibus longæ navis NEPTUNI, accepto alterutrius cruris vulnere, e nave, quò sanaretur, sublatus est in valetudinarii, ubi præerat chirurgia, partem, quæ, si illi non fuisset, solitudo erat.

ture à DAMIAT: alors toute la SYRIE est sûre d'en être infestée.

Au KAIRE, on a observé que les porteurs d'eau sans cesse arrosés de l'eau fraîche qui portent dans une outre sur leur dos, ne sont jamais attaqués de la peste; mais ici c'est *lotion*, et non pas humidité.

erat. Hic, cæteroquin sanus, decem dies com-
moratus est. Deinde, vino clanculūm parato
lymphatus, in febrem incidit, ad quam discu-
tiendam, quippe cùm ardens ex ebrietate puta-
retur, sanguis bis missus est. Tertio verò pòst
die, maculæ summi corporis *typhum* manifestâ-
runt, ei similem, qua complures ejus sociorum
tum navi implicati sunt.

XXXV. Num corpus debilitat, et cutis hali-
tum suppressit, admota contagio? Quidni sic
opinaremur? Suppressâ enim cutis exhalatione,
putrida materia, quam ingenuit, vel in sui simi-
litudinem rapuit contagio, in corpore retinetur,
et febrem concitat.

XXXVI. Putat CULLENUS, duas, quibus con-
citantur febres, causas esse, exhalationes nempe
paludum et humani corporis. Hæ, ut illi vide-
tur, eâ sunt naturâ, ut hominum corpora mag-
nopere debilitent aut sedent. Ipsæ enim com-
putrescentibus

putrescentibus exoriuntur. Quæcunque putredinem juvant, ad eas generandas conspirant. Quinimo, corporibus nostris admotæ, humores putrefaciunt.

XXXVII. Quoniam igitur putrida, qualibet origine sint, animalium corpora magnopere debilitant, dubitari vix potest, quin putridæ et paludum et hominum corporum exhalationes debilitandi vi reapse convenient. Ita esse, verisimillimum est, eò quod debilitas, quam semper efficiunt, major gradu vel minor est, prout alias plures aut pauciores potentiae notas edant.

PROGNOSIS.

XXXVIII. 1. Mala signa hac febre implicitorum, sunt visus defectus; tremores; sitis inexplebilis; maturi sudores; testibus HIPPOCRATE, CELSO, et LOMNIO, unus oculorum altero

tero major. Malum quoque est, si os semia-pertum sit; si æger spiritum elidat, velut si aliquid strangularet; si devorare nequeat; si ei collum invertatur. Pessimum est, ut certiores nos facit **GREGORIUS**, si, temporis minuto, arteriæ centies et vicies inordinate micent; si, primâ febre, animus labet, vel, proiectâ, constet.

2. In lubrico versatur æger, cùm abdomen tensum et tumidum est; cùm urina vel non redditur, vel, ægro inscio, effluit, et itidem fæces dejiciuntur; cùm, ineunte febre, extrema frigescunt, et nunquam postea incalescunt; cùm oculi pallent, vehementerque subsederunt, aut pervertuntur, eorumve palpebræ per somnum non committuntur; cùm vox intercidit.

XXXIX. Contra, si hæc (xxxviii. 1. 2.) omnia, vel ex his pleraque absint; bonum est. Ubi, ultra decimum quartum diem, protrahitur fe-

bris, bonum iterum. Quando, protractâ in longum febre, æger vel surdus vel surdaster fit, est, ut **GREGORIUS** putat, bonum quoque.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

XL. *Arteriarum pulsus* (v.)—minutâ cordis potentiat efficitur; propter quam sese solito et salutari vigore contrahere nequit. Corde enim labante, sanguis in extremas arterias non propellitur; sed, in illo et propioribus ei arteriis venisque majoribus, præter solitum, cumulatur.

XLI. *Debilis*,—qua *typho* implicati afficiuntur, labefactatis cerebro et nervis enascitur.

XLII. *Sitis*—ventriculo malè se habente movetū. Tanta enim oris et ventriculi communitas est, ut **GREGORIUS** bene dicat, ægri lin-

guam,

guam, quemadmodum se habeat ejus ventriculus, quam optimè indicare.

XLIII. *Lucis et soni (iv.) intolerantia*—de sensu nimis acri *retinæ* et aurium pendet; et major esse, aut minor, observatur, pro rata gravitate morbi.

XLIV. *Animæ fætoris*—causa est sanguis usque eò vitiatus aut corruptus, ut in eo sit, ut putrescat.

XLV. *Petechia*—efficiuntur sanguine, quem, præ laxitate, extremæ arteriæ effuderunt. Posunt etiam curaturâ calefaciente exoriri.

XLVI. *Abdomen tensum*—redditur gangrænâ, quæ intestina affecerit; et commiserit, vel ut contento aëre ipsa magnopere distendantur, vel ut ex his aër erumpat in cavum abdominis.

XLVII. *Fæces*

XLVII. *Fæces et urina, ægro insciente, effluunt,*—
vel propter paralysin, ut nonnulli putant, vel
propter amissum sensum, ut aliis videtur, mus-
culturum, quorum est anum et urinæ vesicam
claudere.

RATIO MEDENDI.

XLVIII. *Munditia.*—Primùm omnium oportet medicum dare operam, ut æger mundus sit,
curando, ut vestimenta et stragula identidem
noventur; ut omnia excrementsa submoveantur
quamprimum; atque ut, per fenestras, aër
purus intromittatur.

XLIX. *Vomitio.*—Ineunte febre, ægro multū prodest vomitio. Corpus enim vehementer
agitando, febrem haud raro intercidit. Verū
interdum tamen remedium anceps est: nam, si
æger jam perquam debilis sit, adhuc multo de-

biliorem reddet vomitio. Quartum aut quintum post diem, vomitoria, ut censem **GREGORIUS**, non assumenda sunt ; propterea quod adeo jam increvit febris, ut vomitione interrumpi non possit ; et, insuper, periculum est, ne e debilitato hinc corpore æger multum detrimenti faciat.

L. Ex vomitoriis optimum est *tartarum emeticum* aquâ solutum. Quantum hoc aliis ejusdem generis antecellat, primùm periculo compertum est a medicis, qui regii BORUSSICI exercitûs valetudines regebant. Eorum enim febricitantium, qui hoc assumpto vomuerunt, non amplius tres e centum mortui sunt.

LI. I. *Exinanitio alvi, et sudatio.*—Quum fluxus alvi vel sudore febris haud raro solvatur ; si alteruter accidat, haudquam sistendus est, nisi adeo profusus sit, ut percussus arteriarum debiles

biles et celeres, atque alia debilitatis signa efficiat.

2. Si sudor ægrè fluat, nunquam, ut bene monet PRINGELIUS, evocandus est medicamentis, ex iis quæ vehementer incitant et calefaciunt. Sin haustu salino facile elici possit, neque elictus pulsum arteriarum imbecillem et crebrum faciat, febricitantibus sæpe prodest.

3. Si alvus astricta sit, ea, quæ leniter emolliunt, quamprimum adhibenda sunt. Hæc autem, quæ sint, sigillatim nominare non opus est.

LII. *Cinchonæ cortex*.—Ne putrescant humores, cortex *cinchonæ*, et vinum, parcâ haud manu adhibenda sunt. Adversus putredinem, multum itidem pollet cortex *swieteniæ soymidae*, de qua ANDREAS DUNCANUS, filius, juvenis ingeniosus, fusè et optimè scripsit. “*Cortex soymidae,*

“ ut multùm, necne, contra putredinem posset,
 “ appareret, quinque ægrotis *typho putrido* labo-
 “ rantibus adhibitus est. Omnes convaluere.
 “ His ventrem adeo non movit, ut, per totum
 “ morbum, alvum aliis medicamentis ducere
 “ opus effet *.” Eundem, porrò, in finem, fe-
 nefistris et foribus apertis, intromittendus est aér
 frigidus vel saltem frigidulus in cubiculum, ubi
 lecto affigitur æger.

LIII. *Lavatio frigida.* — 1. Eodem (LII.)
 consilio, multùm prodest, ut testantur LINDIUS
 et WRIGHTIUS, aquâ frigidâ cum aceto com-
 mixtâ corpus ægri identidem lavare. Quantùm
 hoc proficiat, hic auctor, dum in JAMAICA me-
 dicinam fecit, periculo sæpenumero compertus
 est. In prælectionibus certiores nos facit GRE-
 GORIUS, JOANNI SHARDINIO, equiti, adeo per-
 suasum esse, ut proficeret lavatio, ut se aquâ fri-
 gidâ compluries profundendum curaret.

2. Quin

* Vide AND. DUNCAN. Tentam. Inaug. de *Swietenia Soymida*. EDIN. ann. M,DCC,XCIV.

2. Quin hujusmodi lavatio febris vim minuat, dubitari vix potest. Nam licet committat interdum, ut aliquantis per intendatur febris, tamen, ut fert GREGORIUS, semper efficit, ut, haud multò post, arteriae tardius, mollius, et æqualius moveantur, et sic ut delirium remittat aut prorsus evanescat. Nihil profectò aptius novimus, quo labans febrentis animus ad constantiam perducatur, quam aquâ cum aceto commixtâ caput ad cutem tonsum subinde lavare.

3. In usu autem hujus (LIII. 1, 2.), haud secus ac aliorum, medicamenti modus est, quem medicus haudquaquam debet temerè transilire.

LIV. *Opium.*—Ad somnum conciliandum, atque nauseam et solutam alvum sistendam, necnon ad sudorem movendum, opium multum valet, ideoque *typho* implicitis haud raro insigniter prodest. Interdum quidem alvum nimis fir-

mat,

mat, et sitim movet: sed, cùm illam emollientibus solvere possimus, et hanc potu refrigerante sedare, firmi satis nihil videmus, quamobrem opium, quo tanta commoda ægri faciant, non adhibeatur.

LV. *Alvum evacuantia.*—Alvum, si astricta sit, subducere, quàm movere, melius est. Emollientia enim per anum immissa, alvum protinùs ferè solvunt, et insuper leniùs multo, quàm cathartica ore devorata. Quocirca, quoties præsentaneo levamine opus sit, illa his anteponenda sunt.

LVI. *Fomenta,*—ut nonnullis videtur, *typho* laborantibus multum commodi afferunt. Non solum enim spasmum solvunt, sed etiam gravem capitis abstergent dolorem. Alii, contrà, censent, neutquam adhibenda esse; propterea quòd corpus nimis relaxant; quòd sudor, quem eliciunt, haudquaquam febrem solvit; demumque, quòd

interdum faciunt, ut incalescat corpus. Quapropter, refrigerare, quam fovere, his melius videtur.

LVII. *Sanguinis missio, et exulceratio.*—nunc, ferè ex toto, exolérunt, et, ut nobis videtur, meritò. Nunquam, nostrâ opinione, periclitanda sunt, nisi cùm indubiis signis se ad inflammationem proclive ostendat corpus.

LVIII. *Serpentarium,*—quoties submitterent se arteriæ, ægro, ut quotidie adhiberet usque ad drachmæ dimidium, præcipere, PRINGELIOMOS erat. Hanc cum *cinchonæ* cortice conjunctam, multùm, contra gangrænam obvenientem, pollere, periculo compertus est. Consuebat etiam febricitantibus frequenter dare *misturam volatilem cardiacam*, cuius efficaciæ ipse multùm confidebat.

LIX. *Vinum*—nunc peculiariter ferme contra *typhum* efficax putatur, si unà auxilientur *cinchonæ*

chonæ cortex, et aër frigidus. Verùm, quod ad eorum usum attinet, PRINGELIUS certiores nos facit, vinum, et aquam decoctam ex *serpentaria* et *cinchonæ* cortice, utcunque necessaria sint contra putredinem et ad vires vitales sustinendas, haudquaquam ipso hoc consilio adhibenda esse, ut arterias attollant ; ut capitis dolorem prorsùs discutiant ; demumve, ut, ante decimum quartum diem, naturâ, ut plerumque solet, nihildum adjuvante, sudorem moveant. Quanquam enim æger, etiam ante hoc tempus, interdum mori- tur, imprimis si multum sanguinis amiserit, aut si calefacientibus inarserit ; tamen illa medica- menta, ut fert idem auctor, febrem maturiùs ad salutem perducere non possunt.

LX. Si, dum vinum accipit æger, animus magis labat, caput vel fovere vel exulcerare opus erit.

LXI. *Liquidum*

LXI. *Liquidum opium, et meracior ex catehucio quilibet liquor,—si alvi profluviu supervenerit, perutilia reperientur.*

LXII. *Potus denique frigidus, fructus, et exercitatio simul atque hac uti valeat corpus, convalescentibus ex typho convenient.*

F I N I S.

CORRIGENDUM.

§ XXXIV. lin. 16, *pro qua lege quo*

1902.11.22

Op. 19. 1902.11.22

ALGADIM OTAKUZI

MANUSCRIT

80.

ARMATE SPASMODICO.